



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Disputatio IX. De Demonstratione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

DISPUTATIO IX.

De Demonstratione.



Ttingemus primùm ea, quæ de Demonstratione nondum præexercitatis noscenda sunt, tum demum ad quæstiones disputabiliores delabemur.

De essentia Demonstrationis.

QUÆRITUR 1. *Quid sit Demonstratio.* Duplicem definitionem Demonstrationis posuit Arist. Primi Poster. c. 2. Prima est. Demonstratio est syllogismus faciens scire, & Demonstratio, est Syllogismus, ex veris, & primis, & immediatis, & notioribus & prioribus, & causis Conclusionis. Bonitas harum Definitionum ex eo suaderi solet, quia sufficienter notificant naturam Demonstrationis, & deinde quia instrumenta definiri postulant per finem suum, ut ostendit Inductio. Jam autem finis Demonstrationis est, ut faciat scire.

QUÆRITUR 2. *Utrum hæ definitiones sint rigorosæ.* Quod prima non sit rigorosa, Ratio est. Quia definitio rigorosa debet habere genus & differentiam, quorum unum seorsim acceptum, sit verum illius genus, & aliud seorsim acceptum sit verè differentia: hæc autem definitio: Demonstratio est Syllogismus faciens scire, non continet, tale genus, & talem differentiam, ly enim syllogismus est quid genericum ad syllogismum probabilem Sophisticum & demonstrativum, consequenter non est illius rigorosum genus: ly etiam faciens scire, non est rigorosa differentia; nam facere scire convenit etiam definitioni, & aliis modis sciendi. Cæterum si utraque hæc pars definitionis tota simul & collectivè sumatur, bona erit: Ratio est: quia per ly syllogismus distinguetur à definitione, per ly autem faciens scire distinguetur à syllogismo probabili & Sophistico. Quod secunda definitio non sit rigorosa. Ratio est: Quia nonnisi per finalem & materiale causam traditur, quales definitiones non esse rigorosas, docet Dialectica: præsens autem definitio, procedit per causam materiale, quia ipsæ propositiones veræ & primæ seu præmissæ tales, componunt tanquam causa materialis, demonstrationem. Procedit etiam per causam finalem, quia vult syllogismus hunc constare causis conclusionis, nomine autem conclusionis intellexit scientiam, quæ est finis, ad quem illæ ordinantur.

QUÆRITUR 3. *Quomodo illa Particula intelligenda, faciens scire.* Non sunt ita intelligendæ

quasi solus syllogismus faciat scire cum etiam definitio faciat scire: sed intelligendæ sunt, quod solus syllogismus faciat discursivè scire. Non sunt etiam intelligendæ hæc particule, quasi demonstratio, faciat efficienter scire, quid enim est illa causata scientia à demonstratione, præter illam et ipsam. Facit ergo demonstratio scire formaliter, seu per modum formæ habitæ, quæ seipsa, est formaliter faciens scire. Ut autem salvetur illud, quod scire sit per causam cognoscere, id ita accipiendum: quod omnis demonstratio procedat per causam, non quidem in essendo, procedat tamen per causam in cognoscendo: quo sensu etiam demonstratio per effectum, erit scientia per causam: vel certè explicandus erit Aristot. quod dixerit scientiam potissimam esse cognitionem per causam, non verò cæteros sciendi vel demonstrandi modos.

De Divisione Demonstrationis.

QUÆRITUR 1. *Quot sint Demonstrationis species.* Philosophus I. Poster. C. 14. dicit aliam esse demonstrationem propter quid, aliam quia, seu aliam esse demonstrationem à priori, aliam à posteriori, demonstrationem à priori, est demonstratio per causam. Demonstratio à posteriori, est demonstratio per effectum.

Sunt qui censeant non idem esse demonstrationem à priori, & demonstrationem propter quid, eò quod demonstratio à priori, sit per causam non tantum proximam, sed etiam remotam, ut si per existentiam solis, demonstratur existentia caloris, quamvis inter calorem & solem mediet lux: cum tamen demonstratio propter quid, sit per causam immediatam. Cæterum cum effectus non solum per causam proximam, sed etiam per remotam existere dicatur, non est ratio, cur demonstratio per causam remotam, non sit demonstratio propter quid.

Sunt itidem qui censent demonstrationem quia, & demonstrationem à posteriori non esse idem, ex eo, quod demonstratio quia, fieri possit per causam remotam, demonstratio autem à posteriori, nonnisi per effectum sit. Sed diximus demonstrationem per causam remotam, esse demonstrationem propter quid: & deinde quia est quæstio de voce, loquendum ergo erit cum pluribus, qui demonstrationem quia, non distinguunt à demonstratione à posteriori.

ADDO Fundamentum, propter quod demonstratio à priori vocatur demonstratio propter

pter quid. Quia hæc demonstratio est per causam, causam autem appellat Aristoteles rationem propter quid, sicut ipsam essentiam appellat quod quid rei.

Rursus demonstratio alia est perfecta alia perfectissima, demonstratio perfecta ex Ariaga est, in qua ex Præmissis evidentibus, conclusio evidenter sequitur, sed non demonstratur prima passio de essentia. Demonstratio autem perfectissima est, in qua per definitionem essentialem, ut per medium, demonstratur prima passio essentia.

QUÆRITUR 2. *An Demonstratio propter Quid & Quia sint specie distinctæ* Esse, docetur communiter contra Scotum. Ratio ex Oviedo. Quia habent media diversa, & rationes assentiendi Conclusioni, specie distinctas: & ut addit Ariaga, alias regulas præscribit Logica pro Demonstrationibus propter quid, & alias pro Demonstrationibus quia. Quando verò eadem conclusio nunc à posteriori nunc à priori demonstratur, tamen istæ conclusiones different specie, quia eadem erunt materialiter, non eadem erunt materialiter, non eadem formaliter, ex diversis enim specie motivis procedent, nec eosdem specie assensus generabunt. Imò si quis ignarus, rationalitatem esse causam admirativitatis, probaret tamen admirativitatem per rationalitatem, si verò alter probaret eandem conclusionem, sciens rationalitatem esse causam admirativitatis, illorum Syllogisatio esset eadem materialiter, & vocabulariter, differret tamen specie: aliud enim specie erit motivum in sciente causam admirativitatis esse rationalitatem, à motivo ejus qui id ignorat. Non nego tamen demonstrationem propter quid, & rem esse, & propter quid sit, demonstrat: Demonstratio autem quia, rem demonstrat.

Stat tamen cum hoc, ut hæc demonstrationes sint specie distinctæ, quia distinctis specie motivis, diversisq; regulis à Logica præscriptis, innuntantur. Hinc quamvis possit dari demonstratio, quæ ostendat qualis res sit, quia tamen id ostendet aut à priori aut à posteriori, regulabiturq; præceptis datis à Logica pro Demonstratione quia & propter quid, ideo distinctam ab his specie non constituet demonstrationem.

ADDO. Probabile esse, quod hæc demonstrationes, sint distinctæ specie subalterna, non atomata, quia adhuc habent sub se inferiores species nempe figuras.

QUÆRITUR. *An divisio dicta, sit adequata.* Est. Ratio. Quia omnes ad hæc membra revocantur demonstrationes. Deinde membra hæc procedere per causam, non procedere per causam, sunt contradictoria, hæc divisio procedit per talia membra, ut reflectenti patebit: Ergo procedit per membra contradictoria: & quia non datur medium inter duo contradictoria,

sed omnia revocantur ad aliquod membrum, ita & reliquæ demonstrationes ad has. Hinc quando Petrus demonstratur esse animal, quia est homin, hæc demonstratio revocatur ad demonstrationem quia, sicut enim ab effectu valet consequentia ad causam, non à causa ad effectum, ita ab homine valet consequentia ad animal, quantumvis ab animali non valeat consequentia ad hominem. Item quando definitio per definitum demonstratur, tunc etiam demonstratio revocatur ad demonstrationem quia, non quod fiat per aliquod posterius, sed quia verificatur de illa, aliud membrum contradictionis: nempe non procedere per causam; tam verè autem demonstratio ab effectu non procedit per causam, quam demonstratio quæ per convertibile vel per definitum procedit, non procedit per causam.

Subnecti deberent aliqua de præcognitis, sed ea, quia nihil specialiter disputabile habent, aliunde petantur.

COLLIGES. Demonstrationem perfectissimam semper debere procedere per causam in essendo, quæ causa non est necesse ut sit actualis, & Physica, realiterque distincta, sed sufficit ut sit causa Metaphysica, & ex modo concipiendi in re fundato; alias nullæ Metaphysicæ, nullæ Logicæ demonstrationes essent, quia hæc procedunt per causam frequenter nonnisi Metaphysicam, quam alii appellant causam virtuaalem. Deinde nescio cur hic Syllogismus, Omne immutabile est æternum, Deus est immutabilis: Ergo est æternus, nescio inquam cur hic Syllogismus, cum nonnisi causam virtuaalem seu Metaphysicam contineant, deficiat à ratione cognitionis certæ & evidentis consequenter deficiat à ratione demonstrationis. Et certè causa virtualis est vera causa, in quantum verum opponitur ficto, licet non sit vera causa in quantum verum, idem importat, quod realiter distinctum ab effectu: & quia causa virtualis est causa vera, prout verum opponitur ficto, hinc habetur fundamentum in re, concipiendi hoc tanquam causam, & illud tanquam effectum: & quia est fundamentum in re concipiendi hoc tanquam causam quantumvis virtuaalem, ideo causa virtualis non solum quoad nos, sed etiam quoad se, notior erit, demonstratioq; per illam, erit demonstratio per notiora.

COLLIGES ulterius ex dictis supra. Omnem demonstrationem procedere per causam in cognoscendo, cum ut dixi etiam effectus sit causa in cognoscendo suam causam. Neque censendum est omnes Syllogismos fore demonstrationes, eò quod omnes procedant per causam in cognoscendo, quia multi Syllogismi non procedunt per causam in cognoscendo necessariam, hoc enim Syllogismo nonnisi demonstrativo convenit: sicut procedere per causam in cognoscendo.

cognoscendo probabilem, convenit Syllogismo Topico. Restant quædam magis disputabilia, an scilicet præmissæ debeant esse evidētiore, certiores, veriores conclusione. De quo sit:

QUÆSTIO I.

An Conclusio sit æqualis in evidentia, ipsi præmissis Demonstrationis.

In hac Difficultate erit necesse paululum subsistere, eò quòd eam diffusius Neotorici rimantur *Sic*

DIFFICULTAS I.

Supponuntur quædam ad Conclusionem.

SUPPONO 1. ex iis, quæ dicta in materia de scientia, quid sit certitudo, quid evidentia.

SUPPONO 2. ex Arriaga, posse esse certitudinem majorem & minorem: quia potest esse magis firma adhæsiō uni quàm alteri veritati, imò potest esse major & minor evidentia, potest enim unum clariùs alio cognosci, & ita clariùs cognosco fumum quem video, quàm ignem, quem existere, evidentia physica cognosco, ex fumo.

SUPPONO 3. Ex his quæ immediatè dicta ex Arriaga. Posse nos tam certitudinem quàm evidentiam dividere, in certitudinem & evidentiam formalem, seu tenentem se ex parte actūs, & in certitudinem & evidentiam objectivam. Certitudo formalis, est, ipsa firma adhæsiō ad objectum. Certitudo autem objectiva, est ipsa necessitas objecti. Rursus evidentia formalis, est, claritas & perspicuitas cognoscendi evidentia autem objectiva, est claritas & perspicuitas ipsius agnoscibilis.

SUPPONO 4. Ex Oviedo & dictis de scientia. Quod excessus cujusvis qualitatis, pensari possit vel ex perfectione entitativa, & ut alii appellant essentiali: vel potest pensari ex perfectione graduati, quam etiam intensivam appellant. Perfectio entitativa, stat in excellentia entitatis & essentiali. Perfectio autem, majoritas, gradualis excessus &c. stat in additione unius gradus ad alium. v. g. sit unus gradus gratiæ, & caloris septem, vel sit unus gradus lucis, & septem albedinis, tunc unus gradus gratiæ & lucis, major erit entitativè, septem gradibus caloris aut albedinis, licet illi septem gradus, habeant majoritatem, perfectionem gradualem excessum &c. excellentiorem, præ uno gradu gratiæ & uno lucis: Quod dicitur de excessu qualitatis, idem dicendum de excessu in evidentia, vel certitudine. Potest enim v. g. certitudo pensari vel ex perfectione entitativa, vel

ex perfectione graduati: sit v. g. actus fidei de mysterio Trinitatis intensus ut unum: sit & actus scientiæ de risibilitate hominis intensus ut septem, prior ille actus, erit perfectior entitate & essentialiter, hic autem perfectior & intensior gradualiter.

SUPPONO 5. In quo conveniant & in quo differant auctores, circa punctum præsentis difficultatis. Conveniunt omnes. Præmissas non esse veriores conclusione neque conclusionem veriore præmissis, eò quòd veritas in indivisibili consistat, neque admittat majus & minus.

De evidentia divisi sunt. Arriaga enim Præmissam unamquamque seorsum acceptam, dicit posse esse evidētiorem & certiorē conclusionē, utramque tamen Præmissam simul sumptam, non esse certiorē, quàm sit ipse assensus conclusionis. E contra Oviedo dicit conclusionem, æquē esse evidētem ac evidens est utraque Præmissa. Communis autem sententia censet Præmissas esse certiores & evidētiore quavis conclusione. *His suppositis Sit*

DIFFICULTAS II.

De certitudine quid sit sentiendum.

DICENDUM est Præmissas esse evidētiore in Demonstratione ipsa conclusione: ita communis sententia. Quæ

PROBARI potest 1. ex Arriaga. Firmiùs intellectus adhæret uni v. g. Præmissæ seorsum acceptæ, quàm adhæreat conclusioni: Ergo saltem conclusione, una præmissa separatim sumpta, est certior & evidētiore. Antecedens probatur firmiùs intellectus adhæret uni veritati quàm illi uni & aliis simul: Ergo etiam firmiùs adhæret uni Præmissæ seorsum sumptæ, quàm illi & conclusioni. Probatur consequentia. Quia adhærendo conclusioni adhæret & Præmissis, & ultra Præmissas conclusioni. Antecedens probatur. Firmiùs creditur Petrum currere quàm Petrum & Joannem & alios currere: quod ipsum probatur: quia ad falsitatem hujus propositionis, Petrus & Joannes currunt, sufficit si Petrus non currat, vel si Petrus currat, sufficit quòd Joannes non currat: ad falsitatem autem illius propositionis Petrus currit, necesse est determinatè, Petrum non currere.

CONFIRMATUR. Plura habet capita, ex quibus falli possit conclusio, quàm una separatim accepta Præmissa: Ergo conclusio minus est certa & evidens. Antecedens probatur. Quia conclusio importat & se, & duas Præmissas, Præmissa autem non nisi seipsam importat: Ergo conclusio plura habet fallibilitatis capita: Et certè quis dubitet faciliùs posse persuaderi, animal esse sensitivum, item hominem esse animal, item hominem esse sensitivum quàm possint persuaderi hæc omnia simul.

RESPON-

RESPONDET huic rationi Oviedo. Quòd verum sit assensum incertum & fallibilem, magis esse fallibilem qui importat plura capita fallibilitatis. Ceterum certitudo & necessitas simpliciter, cum excludat omnem fallibilitatem, non minus excludet omnem falsitatem una, quam altera propositio: consequenter, non minus excludit fallibilitatem una præmissa, quam alia præmissa & conclusio.

RESPONDERI potest secundo eidem rationi, eam multum probare adeoque nihil. Sequitur enim ex illa, maiorem esse certitudinem apprehensionis huius termini homo quam certitudinem principii lumine naturæ noti, Definitionis, aut cuiuscunque termini complexi; idque ideo; quia plures habet titulos fallibilitatis. Deinde nego absolute quòd præmissa & conclusio simul sumpta, habeant plura capita fallibilitatis, supponimus enim & præmissas & conclusionem esse necessariam; & sicut Deus, cuius infinitæ sunt perfectiones, non censetur plures defectibilitatis titulos habere; quantumvis vel una perfectione Dei deficiente, Deus deficeret, ita & conclusio cum se & præmissas importet omnino infallibiles, non censetur plures habere titulos fallibilitatis; imò plures saltem extensive, titulos infallibilitatis haberet.

RESPONDERI potest 3. Ex iis quæ ipse prævertit Arriaga & solvere conatus est. Quando video duos currentes; tam certum est unum currere, quam duos: Ergo etiam tam certa erit una præmissa quam duæ præmissæ & conclusio. Nam quòd est intuitiva cognitio in potentia visiva, hoc est claritas & perspicuitas objecti in potentia intellectiva; cum ergo tam præmissa una simpliciter, quam duæ præmissæ simul cum conclusione, sint objectum certum & evidens, neque enim per hoc, quia præmissa est certior & evidenter in nostra sententia, sequitur ipsam conclusionem non esse certam & evidentem, nescio cur clarius erit una tantum præmissa quam duæ cum conclusione acceptæ.

ADDO. Ex accidenti & capacitate exigua intellectus malè dispositi, fieri posse, ut clarius quis uni præmissæ assentiat, quam duabus & conclusioni: sed non exiget hoc ipsa objecti natura.

PROBARI solet 2. ex illo axiomate. Propter quod unumquodque tale & ipsum magis, sed propter præmissa certa & evidens est conclusio, Ergo ipsæ magis sunt certæ & evidentes.

RESPONDERI solet huic argumento, quòd axioma fallat. Nam creatura est propter Deum, Deus tamen non est magis creatura, propter creatum est aliquis ebrius, neque tamen creatum est magis ebrium. Cathedra est propter lignum, & tamen lignum non est magis cathedra.

CONTRA. Fallit quidem hoc principium in reliquis causarum generibus, sed non fallit in

genere causæ finalis & motivæ, & ita quia bonitas sanitatis, est motivum medicinæ, magis præ medicina, bona est sanitas: cum ergo præmissæ, sint causa motiva ad assensum conclusionis, ipsæ magis merebuntur assensum. Deinde per oppositos, non fallit hoc axioma in causa finali, dicuntque quòd amor finis, moveat ad amorem mediorum: Ergo cum certitudo & evidentia præmissarum moveat me ad assensum conclusionis, sicut præ mediis major est amor finis, ita præ conclusione, major erit certitudo & evidentia præmissarum.

RESPONDET 2. huic argumento Arriaga. Quòd in causa finali, ideo finis magis sit amabilis quam media, quia medium, non habet bonitatem dignam tanto amore, sicut finis. At vero conclusionis objectum, habet in se capacitatem terminandi tam certum assensum, sicut præmissarum objectum.

CONTRA est. Tum quia etiam conclusionis objectum quæ conclusio est, non habet evidentiam dignam tanto assensu, quantum meretur præmissa; sicut enim amabilitas finis, refundit bonitatem in media, ita & claritas præmissarum, refunditur in conclusionem ut conclusio est: imò conclusio ut conclusio est, nullam habet evidentiam, nisi dependenter à præmissis, quantumvis habere possit æqualem evidentiam illa conclusio, quæ propositio est. Hinc à pari argumentor. Medium non habet tantam amabilitatem quantam finis, ergo nec conclusio tantam evidentiam, quantam præmissa. Tum quia supponamus, quòd inclinet cor aliquis ad faciendas justificationes propter retributionem in hoc mundo, & assumat ad hunc finem, servitium & amorem Dei, vel certè ut sui filii bene habeant in hoc mundo, assumat ad hunc finem ut dixi amorem Dei, illa sacra phrasi se movente: Non vidi iustum derelictum & semen ejus quærens panem. Cur tunc medium quòd est amor Dei, non habebit amabilitatem dignam tanto amore, sicut finis. Quod illi responderint, idem nos ad propositum applicabimus.

RESPONDETUR 3. Etiam in rationibus motivis, falsum est, quòd motivo magis assentiamur quam ipsi objecto, aliàs sequeretur conclusionem evidenter deductam ex duobus principis de fide, non esse de fide, non esset enim ita certa, sicut præmissæ: omnia autem quæ sunt de fide sunt æquæ certa.

CONTRA est. Tum quia ipse Arriaga dicit questionem hanc tractari debere independentem ab assensibus fidei quorsum ergo hæc instantia opponitur. Tum quia non est mirum quòd in eo quòd certissimum est non detur locus magis vel minus certo, qualis summitas certitudinis non competit assensibus fidei: sed cum hæc summitas certitudinis non competat assensibus naturalibus, cur non dicetur esse præmissa præ conclusione. Tum quia in conclusione deducta

ducta evidenter ex duabus de fide duo spectari possunt *modo* formalitas conclusionis, & innitentia principio quæ sunt eadem; sic sumpta tertia illa propositio, non est de fide. Deinde potest sumi prout propositio est, sic non respiciet Præmissas, erit de fide, adeoque æquæ certa ac Præmissæ. Ex eo autem quod illa propositio ut conclusio est, non sit de fide, sequitur intentum conclusionis, plus tribuentis præmissis, quam conclusioni. Diffusè hæc tractata vide, ubi de formali fidei.

Quod verò addit Arriaga Deum, amare hominem propter gratiam, & tamen gratiam non magis amat homine, id habet multa difficilia. Imprimis quia cum gratia non sit capax amoris amicitiae, utpote incapax redamationis, hoc ipso homo, qui huius est capax amoris, erit amabilior: jam autem comparatæ inter se propositiones, possunt habere gradum, magis certæ vel minus certæ. Deinde posset quis dicere, quod Deus non amet hominem propter gratiam tanquam propter motivum, sed quod hunc amorem exerceat, non independenter à gratia & quod gratia sit signum amoris. Denique negaret alius, quod gratia in suo genere non magis ametur quam homo: quia gratia est in entitate supernaturalis, quia plures gradus bonitatis participat, & cætera similia.

PROBARI solet 3. Quia Præmissæ demonstrationis vel sunt immediatæ vel mediatæ, si sunt mediatæ, ergo sunt clariiores & evidentiores conclusionem, sunt enim principia lumine naturæ nota, & ex hoc excessu evidentiae, vocantur lumine naturæ nota. Si autem Præmissæ sunt mediatæ, ergo tamen clariiores conclusionem, quia propinquiiores lumini, hoc est principis per se evidentibus.

DIFFICULTAS III.

Respondetur Objectionibus.

OBJICIT 1. Arriaga. Si majore esset evidentia Præmissarum & certitudo, quam conclusionis, hæc majoritas in eo esset, quia si intellectus negare deberet aut præmissas aut conclusionem, potius negaret conclusionem, sed hoc falsum est: formetur enim hic syllogismus Deus est summa veritas, sed Deus revelavit se esse summam veritatem; Ergo est summa veritas: in quo syllogismo non præligeret intellectus potius negare conclusionem, cum iidem termini, qui sunt in præmissa, ponantur in conclusione.

RESPONDETUR. Quod non præligeret intellectus negare illam conclusionem quam præmissam, accipiendo conclusionem prout propositio est; præligeret tamen, prout non nisi conclusio est.

INSTAT 1. Idem. Quando ex propositione universali inferitur particularis conclusio, non

est magis dispositus intellectus ad negandam conclusionem quam negandam universalem, & ita si sum certus quatuor currere, & in quatuor includi duos, quomodo non ero certus, eadem certitudine, duos currere.

RESPONDETUR. Intellectum magis esse dispositum ad negandam conclusionem particularem ut conclusio est, seu ut assensus ex connexionem cum tertio est, quam ad negandam universalem, quamvis non sit dispositus, ad absolute negandam illam particularem, ut illa particularis conclusio, propositio est. Deinde quia assensus ad quatuor, est hoc ipso formaliter assensus, etiam ad duo, hinc non magis assentitur quis ad quatuor, quam etiam ad duo: jam autem, quia non ex hoc ipso quia aliquis assentitur præmissis, assentitur in illis etiam conclusioni, ut conclusio est, cum illa requirat assensum specie distinctum, ideo adhuc relinquitur locus, ut intellectus magis possit assentiri Præmissis.

INSTAT 2. Idem. Intellectus evidentissime cognoscit, duo aliqua esse idem uni tertio, ac esse idem inter se: Ergo & æquæ evidenter cognoscit Præmissas, involventes idem inter se, ac conclusionem involventem, idem ubi tertio.

RESPONDETUR. Æquæ quidem evidenter cognoscit intellectus idem uni tertio, & idem inter se, si idem uni tertio sit objectum quod noscitur, quia utrumque erit principium, adeoque lumen naturæ, sed si cognoscat propter idem uni tertio, hoc ipso cognitum propter illud principium, non erit æquæ evidens, quia non erit ipsum illud lumen, sed participans de illo.

INSTARI potest 3. Deus in probabili sententia, ex creaturis immediate cognitis, cognoscit seipsum, & tamen falsum est quod Deus perfectius cognoscat creaturas, quam cognoscat seipsum; Ergo etiam licet assentiamur conclusioni propter Præmissas, tanquam propter medium, falsum erit illas evidentiores esse.

RESPONDETUR. Creatura capax est imperfectionis in suis modis noscendi, incapax Deus, hinc quamvis tribuamus Deo quod se noscat ex creaturis, noscit tamen seclusis imperfectionibus: imperfectio autem esset, si evidentius nosset Deus creaturas, quam seipsum.

OBJICITUR 2. ex Tannero (quidquid sit si ve hæc sit mens illius ut vult Arriaga, si ve non, ut vult Oviedo) saltem quando intellectus habet unam Præmissam certam & evidentem, aliam probabilem, vel certam quidam sed obscuram, tunc conclusio erit certior probabili Præmissa & evidentior illâ obscurâ. Antecedens probatur. Quia intellectus eam quam potest certitudinem & evidentiam sectatur, ergo si in una Præmissa invenit certitudinem & evidentiam, in alia verò non, tunc relicta illâ defectibili Præmissa, sectabitur non nisi illam clariorem & evidentior.

RESPON-

RESPONDET Arriaga. Tunc intellectus uno motivo relicto sectatur evidentius motivum, quando illa motiva & argumenta sunt diversa: & ita quando Samaritani crediderunt in Christum, jam non propter dicta Samaritanæ, sed propter dicta ipsiusmet Christi relicto illo debiliore argumento, hoc est verbis Samaritanæ, arripuerunt fortius hoc est dicta Christi. Ceterum quando ex duobus motivis fit unum argumentum, non potest intellectus uno motivo partiali relicto arripere aliud, jam enim hoc ipso non esset assensus iste Conclusionis ut Conclusio est, siquidem ex duobus Præmissis non procederetur.

OBJICITUR III. Ex Oviedo Objectum Conclusionis identificatur cum objecto utriusque Præmissæ, Ergo æquè evidens & necessarium est objectum Conclusionis ac utraq; Præmissa, aliàs de eodem objecto possent verificari duo Contradictoria, idemq; objectum v.g. & esset evidens ut octo, & non esset evidens ut octo.

RESPONDETUR. Objectum Conclusionis est identificatum cum objecto Præmissarum, ita ut non habeat æquè immediatè conjunctam sibi rationem assentiendi, hoc est evidentiam, Concl: Antec: Objectum Conclusionis est identificatum cum objecto Præmissarum, ita ut æquè immediatè conjunctam sibi habeat rationem assentiendi, Nego Antecedens & Consequentiam. Vel certe transito antecedente, Distinguo Consequens. Ergo æquè necessarium est objectum Conclusionis quæ Conclusio est Nego Consequentiam, Ergo æquè necessarium objectum Conclusionis quæ propositio est, Transeat.

ADDO Ulterius, Unum idemq; objectum, ex diversitate motivorū, nunc evidentius nunc inevidentius esse posse; & ita Deum dari, est inevidens, si id propter revelationem credam, evidens autem est, si id demonstrativè sciam.

INSTAT Idem. Eo ipso quod quis assentitur Præmissis, assentiri debet Conclusioni. Ergo eadem determinatione, qua assentitur Præmissis, est determinatus ad assentiendum objecto Conclusionis, Ergo eandem ulterius Conclusio, quam & Præmissa, habet evidentiam: nam hæc evidentia, est istud determinativum.

RESPONDETUR Distinguendo I. Consequens, Ergo eadem determinatione, & ex iisdem Principiis, & æquè immediatè orta, qui assentitur Præmissis, assentiri debet Conclusioni, Nego Consequentiam: eadem determinatione, sed ex diversis principiis, & non æquè immediatè orta Transeat Consequentia & nego utramq; Consequentiam ulteriorem.

OBJICITUR IV. Si Conclusio esset inevidentior Præmissis & incertior, sequitur Syllogismum secundum, qui assumit Conclusionem præcedentis, pro Præmissa, esse priori inevidentior: rursus sequitur Syllogismum qui assumit pro Præmissa Conclusionem 2di Syllogismi, esse inevidentior, & sic deveniendum tandem erit ad Conclusionem, quæ sit omnino incerta.

RESPONDETUR. Conclusionem quō plus recedit à Principiis Primis, esse inevidentior, nunquam tamen deveniendum est, ad jam omnino incertam. Majoritas enim & Minoritas in certitudine sunt accidentia & affectiones quædam, veluti Substantiæ cujusdam, hoc est ipsius Certitudinis. Sicut ergo mutatis accidentibus, non est necesse mutari Substantiam, ita diminuta majoritate certitudinis, non est necesse ipsam Substantiā certitudinis minui, adeoq; deveniri ad talem, quæ jam non sit certa. Illustrari hoc potest instantia, desumpta ex sententia illorum, qui censent intra eandem speciem, posse esse perfectiorem & imperfectiorem animam, sicut enim supposita hac sententia, non est venire ad animam rationalem tam imperfectam, quæ non sit rationalis, ita diminuta certitudine, non est necesse venire ad talem, quæ jam non sit certa. Illustrari item posset in hac sententia, quæ admittit specificam distinctionem Angelorum, & alios aliis esse perfectiores vel imperfectiores, sicut enim si Deus procederet in producendis Angelis, semper & semper imperfectiorem producendo, tamen non deveniretur ad talem producendum, qui jam non esset Angelus: ita nec deveniretur ad Conclusionem, quæ jam non sit certa, etiamsi procedatur per deductas Consequentias semper ad minus certam.

OBJICITUR V. Causa necessaria tribuit effectui, eam omnem perfectionem quam habet. Præmissa sunt causa Conclusionis, eaq; necessaria, Ergo Conclusioni tribuent Præmissa, eandem perfectionem, adeoq; evidentiam.

RESPONDETUR Communiter, causam univocam necessariam, tribuere effectui omnem suam perfectionem, sed non causam æquivocam: est autem Præmissa, causa æquivoca per ordinem ad Conclusionem. Causa enim æquivoca est, quæ non producit sibi similem effectum, Præmissa autem quæ est principium, cum non producat aliud principium, sed Conclusionem, ideo Præmissa Causa æquivoca erunt Conclusionis.

OBJICITUR VI. Plures subsunt rationes assentiendi Conclusioni quam Præmissis, Ergo.

RESPONDETUR. Evidentiam non desumit ex pluralitate motivorū, sed ex majori claritate objecti: major autè claritas est in Præmissis, quia illæ vel sunt ipsum lumen vel proximius quid luminis.

OBJICITUR VII. Præmissæ sunt tanquam media, Conclusio tanquam finis, Præmissæ sunt tanquam instrumenta, Conclusio tanquam effectus, Ergo cum præ mediis excellat finis, & præ instrumentis effectus, evidentior etiam erit Conclusio præ præmissis.

RESPONDETUR. In aliquo quidem assimilari Conclusionem eam finem, quia sicut finis terminat, ita & Conclusio; sed habent in hoc disparitatem, de quō est questio: nec enim à Conclusionem accipit lumen Præmissa nec primò movet, ut primò movet finis. Consequenter poterit esse inevidentior, tanquam remotior à lumine &c.

† T t

QVÆ.

QUÆSTIO II.

An Conclusio Demonstrationis sit certior Præmissis.

PRÆMITTO I. *Quid sit apud alios Certitudo?*
 EXPLICAT I. Vasquez & sumit certitudinem pro determinatione assentiendi sine formidine objecto, facta per imperium voluntatis. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia nullo etiam præsupposito imperio voluntatis, certè assentitur intellectus, duo non esse unum. Tum quia illi imperio voluntatis præluere debet actus intellectus, qui non arbitrariè proponat, ut hoc imperet voluntas; aliàs posset præluere ut imperet voluntas assensum, quod unum sit duo, & hoc fundamentum potius erit certitudo quasita. Tum quia necessariò debet distingui certitudo evidenter objecti, à certitudine inevidenter objecti, quæ distinctio nulla foret, si utrobique ad certitudinem requireretur imperium voluntatis.

EXPLICAT II. Idem. Quod certitudo idem sit, quod veritas.

NON SATISFACIT Explicatio. quia licet ista in re & entitative coincidant, distinguuntur tamen definibilitatibus, aliudque est dicere Cognitio vera & evidens, aliud certa & evidens, ut usus etiam hominum comprobatur.

EXPLICAT III. Idem, quod certitudo sit reflexio, quæ quis iudicat assensum à se exhibitum certum esse. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia non est ratio, quare non possit esse actus etiam directus, certus. Tum quia huius ipsius quaritur ratio, unde & quid sit, quod reflexio dicat actum exhibitum certum esse. Tum quia aliud est, actum habere pro objecto scientiam, & aliud esse actum scientificum, hinc de scientia etiam non nisi probabiliter possumus discurre: ergo etiam aliud est, actum habere pro objecto certitudinem, & aliud esse certum: cumque non sit ratio, quare certitudo non possit dividi in certitudinem, Objectivam & Subjectivam, videtur Vasquez immeritò admittere non nisi certitudinem Subjectivam.

PRÆMITTO II. *Quid sit ista certitudo.* Fusius de illa in materia de certitudine Fidei, pro nunc suffecerit dicere. Certitudinem ex parte Actus esse ipsam firmam adhesionem ad objectum. Certitudo autem objectiva, est ipsa invariabilitas, necessitas, determinatio, ipsius esse objecti.

PRÆMITTO III. *Certitudinem ex parte actus seu subjectivam, secundum id quod dicitur in recto esse idem cum ipso actu entitative, licet connoret, objectum.* Ratio quia nulla necessitas distinguendi illam ab actu.

PRÆMITTO IV. *Certitudinem objectivam esse intrinsecam etiam objecto.* Ratio: quia non est ullum fundamentum illius superaddende & certè hæc

certitudo objectiva, est necessitas & invariabilitas objecti. Objecti autem necessitas, est ipsa exigentia prædicatorum Objecti, ipsa autem exigentia, sunt ipsa prædicata Objecti, ipsa autem prædicata Objecti, sunt ipsummet Objectum, ipsum autem Objectum est sibi intrinsecum. Ergo à primo ad ultimum, ipsa etiam necessitas, est intrinseca. Non nego tamen quod ipsum certum, objecto creato conveniens, in linea existentis, dependant à Deo. Non nego item quod certitudo objectiva possit haberi ratione motivi extrinseci v.g. Dei attestantis; sed quia hoc quod est esse certum ratione testimonii Divini, non est in ratione objectiva aliquid realiter superadditum, illi objecto ita formalisato, hinc adhuc, verum erit dicere, certitudinem non esse quid superadditum. Casu autem quo Deus assensum qui ex probabilibus motivis sit, revelaret tamen esse verum, in tali casu actus ille, factus ex probabilibus motivis, non esset certus, quia non esset firma adhesio animi, esset tamen certus ex motivo quod Deus nihil falsum revelare possit.

PRÆMITTO V. *Maximè attendi ab Auditoribus ad certitudinem ex parte actus, unde cum quaritur An Conclusio certiores sint Præmissæ, attenditur ad certitudinem ex parte Actus & Subjectivam.* *Hinc*

DICENDUM est. *Certiores esse Præmissas Conclusionem.*

PROBATUR I. Propter quod unumquodque tale & ipsum magis; Sed Conclusio est certa propter Præmissas, Ergo & ipsæ sunt certiores.

PROBATUR II. Evidentiores sunt Præmissæ præ evidentia Conclusionis, Ergo & certiores.

PROBATUR III. In Conclusionem non est æqualis certitudo objectiva, Ergo nec respondebit illi secundum (ut supponimus) merita objecti, æqualis certitudo subjectiva. Antecedens probatur, quia certius est ipsum principium lumine naturæ notum, quam id quod necitur cum illo principio: & cum nulla Conclusio quæ talis, sit Principium lumine naturæ notum, nulla etiam Conclusio erit æquæ certa ac Præmissæ. Consequentia principalis probatur: quia hic quaritur de certitudine ut dixi, quæ sit secundum merita objecti, non autem esset certitudo secundum merita objecti, si cum Conclusio non sit æquæ certa, æquæ certò illi assentiretur intellectus.

CONFIRMATUR. Adhæsiō ista fit ex maiori Necessitate quam advertit intellectus, maiorem autem necessitatem intellectus advertit in Principio lumine naturæ noto, quam in Conclusionem ex illo deducta, aliàs æqualis esset certitudo Principii, cum Conclusionem, per mille Consequentias deducta; quod est certè contra communem experientiam & contra rationem, quia aliàs omnes Conclusiones essent Principia, & omnes, essent Lumen intellectus.

Quæ in contra Obijciuntur, petatur illorum solutio ex dictis de Evidentia.

QVÆ.

QUÆSTIO III.

An Conclusio sit verior Præmissis in Demonstratione.

EX dictis circa secundam Operationem habitum est, veritatem formalem esse conformitatem cum objecto, de hac quaeritur, An possit major esse conformitas in Conclusionem quam in Præmissis, vel e converso, ut id solvatur.

PRÆMITTO I. *Præmissis necessario debere esse veras*, aliàs Conclusio utpotè sequens debiliorem partem, deberet esse non vera, & tamen in Demonstratione debet esse vera: quia Conclusio Demonstrationis debet esse scientia, scientia autem debet esse vera, Ergo tantum quaeritur: an possit esse æquè vera ac Præmissa.

PRÆMITTO II. *Aliud est querere: An una veritas, possit esse magis necessaria præ alia: & aliud: an una veritas sit major alià, prius illud jam affirmatum est, ubi diximus, majorem esse certitudinem Præmissarum quam Conclusionis, de posteriori, lis restat.*

PRÆMITTO III. *Aliud est querere: An una veritas, possit magis & minus intensè esse, & aliud: an una veritas possit esse major alià.* Prius illud affirmandum, de posteriori quaeritur: quia licet illud magis sit album quod plures gradus albedinis habet: sed majoritas veritatis non pensatur ex majori intensione graduati, sed ex majori conformitate cum objecto, aliàs recenter conversus hæreticus ad fidem Catholicam, & magis intensè credens articulos quibus nusquam discredit, magis inquam intensè illos credens, præ iis, quibus discredit olim, sequeretur quòd magis crederet verè, illos, quam hos, & tamen Theologi veritatem fidei æqualem ponunt. Ergo apparet quòd majoritas veritatis, non sit pensanda ex intensione graduati. Solet hoc & aliis instantiis illustrari. v. g. Duo parietes albi ut sepe non sunt magis similes Logicè, præ duobus parietibus albis ut duo, quantumvis plures gradus similitudinis Physicæ habeant. Sic & duæ veritates, quantumvis plures gradus intensiōis habeant, non censendæ sunt magis esse veræ.

PRÆMITTO IV. *Aliud est querere: An una veritas possit esse specie distincta ab alià, & Aliud: an possit esse magis vera quam alià.* Certum enim est, unam veritatem ab alià posse esse specie distinctam, cum enim cognitionibus veris identificetur veritas, & hæ sunt inter se specie distinctæ, etiam erunt veritates specie distinctæ, si autem sunt veritates specie distinctæ, sunt etiam perfectiores & perfectiores, nec tamen inde sequetur quod sit una verior altera, sicut non sequitur ex eo, quia homo est perfectius animal bove, hominem verius esse animal.

PRÆMITTO V. *Intensio veritatis etiam si identificaretur realiter cum veritate, non argueretur rectè exinde quòd aliqua sit magis vera propositio.*

RATIO. Quia quamvis essent idem realiter

intensio veritatis & veritas nõ essent tamè idem formaliter, quod si non essent idem formaliter, quod convenit formaliter intentioni, non essettribuendum formaliter veritati, aliàs committeretur fallacia accidentis. *His Præmissis*

DICENDUM est. *Conclusionem esse æqualem in veritate Præmissis.*

PROBATUR I. Falsa est hæc propositio Aliqua Propositio vera, non tribuit objecto id quod habet objectum, aliàs hoc ipso non esset vera, Ergo vera est hæc propositio, Omnis propositio vera, tribuit hoc quod habet objectum, Hoc posito sic urgetur. Quando omnis propositio vera, tribuit, hoc, quod habet objectum, tunc nulla est propositio verior alià, sed ex dictis omnis hoc habet. Ergo. Major probatur. In hoc est veritas cognitionis, ut hoc tribuat objecto quod habet, Ergo major veritas in eo erit, ut magis tribuat vera propositio hoc, quod habet objectum, sed nulla magis potest tribuere hoc objecto, quod habet objectum. Quod ipsum probatur, Quia ly magis tribuit vel se tenet ex parte actus, hoc est intensus tribuit, & hoc non arguit majoritatem veritatis ut dictum Præmissis 3tio. vel ly magis tribuit tenet se ex parte objecti & hoc non: quia respectu cujuscunque cognitionis homo v. g. non plus habet quam quòd sit animal rationale & sic de reliquis, ergo nulla cognitio magis hoc tribuit objecto, quod habet objectum. Proponi idem potest via Negativa. Inexplicabile est, quid sit magis tribuere objecto, id quod habet objectum. Ergo nec est explicabile, quòd una propositio, sit verior altera.

PROBATUR II. Supposito quod una cognitio quæ dicit Apostolos esse duodecem sit verior, & alià idem dicens, sit minus vera; illa verior, & esset verior ut supponitur; & non esset; quia id tantum haberet magis vera, quod haberet minus vera, sed minus vera non est magis vera, ergo nec magis vera, est magis vera; jam autem magis vera, diceret Apostolos esse duodecem, minus vera diceret etiam Apostolos esse duodecem, Ergo tantum id haberet magis vera, quod haberet minus vera.

PROBATUR III. Non potest Unum esse magis æquale alteri, hoc ipso enim, si unum minus æquale esset alteri, non esset æquale, Ergo neque una cognitio conformior objecto præ alià, hoc ipso enim si minus conformis esset quam altera, conformior non esset, Ergo neque potest esse una cognitio verior alià, hæc enim conformitas in adæquatione consistit.

Idem sic proponi potest Cognitio vel adæquatur omnino cum objecto vel non adæquatur aliquomodo: si non adæquatur, est hoc ipso jam falsa; si adæquatur omnino, ergo una non potest verior esse præ illa.

CONFIRMATUR. Si daretur sphaera, una aurea, in puncto tangens planum; & alià etiam in puncto tangens, argentea, non magis tangeret illa planum.

planum in puncto, quàm hæc. Ergo etiam non magis tanget una cognitio veritatem objecti, quàm alia; nam sicut punctum in indivisibili consistit, ita & veritas.

RESPONDERI potest. Non dari conformitatem majorem inter hunc actum, & hoc objectum, sed falsum est non dari majorem conformitatem, si unus actus comparetur ad alios actus, & eorum objecta, & ita v.g. magis est conformis objecto hic actus, qui dicit, homo est animal rationale: quàm qui dicit, homo est animal.

CONTRA est, ex Oviedo, quia conformitas & adæquatio, quam diceret cognitio vera, spectari debet penes illud objectum quod importatur à prædicato, seu quod affirmatur, non verò spectari debet penes illud objectum, quod non affirmatur: cum ergo in hac propositione: Homo est animal, non affirmetur rationale, sed tantum animal, quantumvis in hac homo est animal rationale plus dicatur, non debet tamen hæc propositio verior dici. Deinde hæc propositio Sanctus Petrus est in cælo non est minus vera quàm hæc: Sancti Petrus & Paulus sunt in cælo; ergo & hæc propositio. Homo est animal, non est minus vera quàm hæc. Homo est animal rationale; cum hoc tamen stat, ut una propositio possit esse magis necessaria quàm alia.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR I. Auctoritas Aristotelis Propter quod unumquodq; tale, & ipsum magis, sed propter Præmissas vera est Conclusio, ergo Præmissæ magis sunt veræ.

RESPONDETUR. Communiter, Axioma verum esse, cæteris paribus, hoc est iis, quæ suscipiunt magis & minus; veritas autem non suscipit magis & minus. Deinde quando idem censet hanc Propositionem. Bonum est bonum, esse verioris ista Bonum non est malum, intelligendus est, quòd per veritatem intellexerit certitudinem & evidentiam.

OBJICITUR II. Una cognitio datur certior & evidentior alia; Ergo & verior.

RESPONDETUR. Negando Consequentiam. Disparitas est, quia est absurdum, ut una cognitio sit verior alia, non est absurdum ut sit certior & evidentior: si enim esset verior, esset conformior objecto: nulla autem potest esse conformior præ alia objecto; quia nulla præ alia potest plus tribuere objecto: ut supra habitum.

OBJICITUR III. Una cognitio potest esse falsa magis præ alia, ergo & vera præ aliâ. Antecedens prob: ex 4. Metaph. C. 4. Ubi sensit Aristoteles non eodè modo falsum dicere, qui quatuor dicit esse quinque, quàm qui dicit esse decem.

RESPONDERI I. solet I. Negando consequentiam Disparitas datur, quia falsitas est recessus à veritate & deviatio, quæ potest esse major & minor.

NON SATISFACIT hæc Disparitas, est enim Metaphorica, contra quam instari posset: Falsitas est

recessus ab objecto, veritas autem est accessus ad objectum, sed potest accessus esse major & minor Ergo & veritas.

RESPONDERI alii II. Negando Antecedens, Auctoritatem Aristotelis explicant quod illic falsum seu mendacium sumperit Aristoteles, pro impossibili quasi dixerit, magis impossibile esse, ut quatuor sint decem, quam ut sint quinque, non accepit verò magis falsum, in sensu de quo hic.

HÆC RESPONSIO indiget adhuc explanatione, quia si potest unum præ alio esse magis falsum hoc est impossibile, cur non poterit etiam magis esse verum.

RESPONDERI Potest III. ex Oviedo, qui negat circa objectum indivisibile posse esse majorem & minorem falsitatem. Rationem dat, quia objectum indivisibile eo ipso quòd disconformetur cum actu, disconformatur secundum se totum, Ergo habet tantam disconformitatem, quantā potest habere, neq; alius minoris, est capax. Talis v.g. est falsitas si quis dicat: Michael non existere, hæc falsitas nec augeri nec minui potest, quia existentia Michaelis, indivisibilis est. Ulterius idem docet, circa objectum divisibile, posse esse majorem & minorem falsitatem. Rationem dat: si enim dicam: viginti homines currunt, iste actus potest esse magis vel minus falsus. Antecedens probatur, si enim nullus homo currat, disconformabitur, secundum omnes viginti homines, si verò currant decem & novē, secundum unum tantum disconformabitur.

CONTRA tamen est. Quia intentum non salvat objectionis. Restitui enim sic potest argumentum. Circa objecta divisibilia potest esse major vel minor falsitas, Ergo major & minor veritas,

CONTRA II. quia ipse Oviedo n. 7. loco citato sentit dictam propositionem: Viginti homines currunt, nullo currente, & novem decem currentibus, aequè esse falsam in isto sensu, quod utraq; essentiam veritatis non habeat: sed non posse esse aequè falsam, quasi illa propositio viginti homines currunt, nullo currente, quasi inquam non se ad plura objecta disconformia extendat. Hæc verò doctrina solum admittit extensionem in falsitate, quàm extensionem etiam in veritate comminisci possumus: Hæc enim propositio Homo est animal, ad pauciora se objecta extendit, quàm hæc, Homo est animal rationale: & tamen non sequitur hanc secundam propositionem, præ illa magis esse veram, Ergo nec sequitur magis illam esse falsam, quæ se ad plura objecta disconformia extendit.

CONTRA denique. Quia tam in indivisibili consistit existentia Michaelis, quàm in indivisibili consistit cursus viginti: si enim aliquid demptum fuerit, non erit etiam cursus viginti; si additum, non erit etiam cursus viginti: Ergo si circa existentiam Michaelis, non potest esse minor vel major falsitas, ita nec circa cursum viginti hominum, in dicto sensu, potest esse falsitas.

Re.

RESPONDETUR. Itaque Aliter Distinguendo Antecedens. Una cognitio potest esse magis falsa præ alia, id est magis illi vel minus potest competere non esse veri, Negatur Antecedens: potest esse magis vel minus falsa; id est pluribus titulis vel circa plura objecta falsa, Concedo Antecedens & Nego Consequentiam. Dico itaque uni propositioni præ alia non potest magis competere non esse veri. Ratio est, quia verum in indivisibili ut diximus consistit, non potest ergo secundum aliquid sui communicari, secundum aliquid non communicari. Deinde negatio est malignantis naturæ, totum quod invenit corrumpit, ergo cum verum sit indivisibile, superadditum illi Non, totum corrumpit, nec relinquit magis vel minus ex vero, illi Propositioni falsa, communicabile. Caterum potest falsum esse aliquid pluribus titulis, vel circa plura objecta, ut probat etiam exemplum immediate ab Ovidio adlatum: hinc autem etiam sequetur posse aliquid magis esse verum, hoc est pluribus titulis & extensius ad objecta. Verum hoc ipsum ut dixi in Præmissis, non est esse magis verum, quia veritatis majoritas, non ex ista extensione & titulis, sed ex confirmitate majori cum objecto pensari debet, quæ quia non datur, nec dabitur veritas major.

De Circulo Demonstrationis.

QUÆRITUR I. *Quid sit Circulus?* Circulus apud Mathematicos est Linea quæ in se ipsam redit. Ab hac proportionem vocatur circulus Logicus, qui tunc fit, quando Antecedens

per Consequens, & Consequens per Antecedens probatur v.g. Homo est rationalis quia est risibilis; est risibilis, quia est rationalis.

QUÆRITUR II. *Quotuplex sit Circulus?* Duplex. Quidam enim est circulus Formalis, qui fit quando per Consequens aliunde non cognitum, probatur Antecedens, ut si v.g. aliquis probaret terram esse rotundam, quia est orbicularis figuræ, & esse orbicularis figuræ, quia est rotunda. Alius est circulus Materialis, qui appellatur Regressus demonstrativus. Quando scilicet Antecedens probatur per Consequens aliunde cognitum: ut si quis hominem probat esse risibilem, quia est rationalis, esse verò rationalem prober, per hoc, quia est risibilis, habendo hoc aliunde cognitum v.g. ex actibus ridendi.

QUÆRITUR III. *An Circulus formalis sit vitiosus?* Est. Ratio quia Consequens est ignotius Antecedente. Ergo Consequens quæ Consequens pro probatione assumi non debet, nam Demonstratio & Scientia ex notioribus procedere debent. Caterum Circulus Materialis est utilis, quia procedit argumentatio à notioribus aliunde scilicet cognitis. Deinde relativa mutuo se inferre possunt, Ergo saltem in aliquo casu, utilis erit hæc argumentatio. Immo ex uno genere Causæ potest fieri argumentatio ad aliud genus, & ita (ut dicitur in materia fidei) rectè per revelationem divinam probamus auctoritatem Ecclesiæ, & per auctoritatem Ecclesiæ, probatur etiam facta fuisse revelatio Divina.

Ne Labor noster circulum faciat vitiosum, redeat ad ejus gloriam, qui vires dedit.

Ad M. D. G. B. V. H.
b. M.

